

INJECTIO BENEDICTA.

R. Aquæ Calcis, uncias octo.
 Mercurii dulcis, drachmas tres.
 Misce exactissimè in mortario marmoreo diu agi-
 tando.

Efficax admodum est ad virgæ ulcera, gonorrhœam,
 &c.

CAPUT XIV.

DE SUPPOSITORIIS, ET PESSARIIS.

Suppositorium est medicamentum solidum externum
 ano dicatum, figura rotunda paratum.

Duplex est, Simplex, & Compositum.

Simplex fit ex radice, vel caudice betæ, brasicæ, can-
 delâ cereâ oleo injuncta, sapone, melle solo ad duritiem
 cocto, & similibus.

Compositum verò conficitur ex melle, sale gemmeo,
 live communi, trochiscis Alhandal, diacrydio, & aliis.

SUPPOSITORIUM COMMUNE.

R. Mellis, uncias duas.
 Coque ad duritiem, igne lento, addendo sub
 finem.

Salis gemmæ, drachmas duas.

Misce optimè, & formentur duo suppositoria, filo
 appensa.

SUPPOSITORIUM IRRITANS.

R. Trochiscorum Alhandal, . }
 Scammonii pulveratorum, } ana scrupulum semis.

Salis gemmæ, drachmam unam.

Misce, & cum sufficiente mellis quantitate (hoc est uncia una) ad duritiem cocti, fiat suppositorium filo appensum.

In morbis soporosis, & aliis similibus affectibus valdè idoneum.

DE PESSARIO.

Pessarium est medicamentum forma solidum, oblongum, & rotundum, ad figuram, & crassitiem digiti factum, quod in vulvam muliebrem immittitur.

Componitur ex variis simplicibus secundum varias intentiones; tribusque paratur modis, nempe ex gossipio in prædictam figuram concinnato, oleis, sive unguentis appropriatis inuncto: vel ex panno lineo, aut sericeo, in quo medicamenti materia includitur.

Vel ex pulveribus, & aliis in formam solidam compactis: debet cuilibet pessario filum appendi, ut extrahi possit.

PESSARIUM ANTI-HISTERICUM.

R. Pulveris hieræ picræ, . . . } ana drachmam unam.
 Agarici, . . . }
 Sabinæ, . . . } ana drachmas tres.
 Myrrhæ, . . . }
 Castorei, drachmam semis.

Misce, & cum melle rutaceo fiat massa mollis, ex qua cum gossipio formentur duo pessaria filo appensa.

Ad humores crassos expurgandos in utero contentos, & ad menstrua movenda applicatur.

ALIUD.

R. Pulveris Aristolochiæ, . . } ana drachmam unam &
 Dictamni Cretici, . . } semis.
 Sabinæ, }

Hieræ picræ, drachmas tres.
 Misce optimè, & cum melle rutaceo fiant duo pessaria secundum artem.
 Ad expellendas secundinas, & ad alia inserviunt.

CAPUT XV.

DE ERRHINIS.

Errhinum est medicamentum, quod in nares (capitis purgandi gratia) immittitur, & quod absque sternutatione sæpè operationes suas absolvit.

Et est vel liquidum, vel ficcum; liquidum est, succus betæ, iridis, &c. paratur etiam ex decoctis betonicæ, majoranæ, & similibus.

Siccum, seu solidum componitur ex nicotianæ foliis circumvolutis, & aliis compositis adaptatis, quæ in nares immittuntur.

ERRHINUM CEPHALICUM.

R. Decocti Majoranæ,
 Betæ cum vino albo facti, . . . uncias quatuor.
 Tepidè prono capite, & aqua ore pleno, naribus attrahatur, ter, quaterve jejuno stomacho.

Ad expurgandum cerebrum à crassis, & viscidis humoribus prodest.

ERRHINUM ANODINUM.

R. Foliorum Lactucæ, . . . }
 Solani, . . . } ana manipulum unum.
 Plantaginis, . . }

Incidantur, & in

Aquæ simplicis tepidæ, . . . libris duabus.